



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones ab Innocentio XIII. & Benedicto XIII. editas

Luxemburgi, 1740

XXXIII. Reservatio dispensationis super voto perseverantiæ in
Congregatione Doctrinæ Christianæ Regni Neapolis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74724](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74724)

& forma in illis tradita observata exprimeretur, & infereretur, presentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes illis alias in suo robore permanfuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut earundem praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in Judicio, & extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur si forent exhibitae, vel ostensa.

Dar. Romae apud S. M. Majorem sub Annulo Piscatoris die III. Octobris MDCCXXIV. Pontificatus Nostri Anno Primo.

XXXIII.

Reservatur Romano Pontifici dispensatio super voto perseverantiae pro ingressuris tamen dumtaxat Congregationem Doctrinae Christianae in Regno Neapolis.

Hujus Consti. ed. 1725. Septembris 28. P. 2. unitur Congregatio Neapolitana Doctrinae Christianae, cum Congregatione Avenionensi. Et Clem. XI. Consti. ed. 1724. Jun. 11. P. 14. Conceditur suffragium deliberativum Definitori adjuncti ejusdem Congregationis Galliae.

Dat. 24. Nov. 1724. An. 1.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Expositio facti.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Presbyteri Congregationis Doctrinae Christianae in Regno Neapolis, quod pro augenda, & conservanda eorum Congregatione valde expediat, ut nomen eidem Congregationi dare volentes post probationis annum votum perpetuae stabilitatis, cujus dispensatio Nobis, & Romano Pontifici pro tempore existenti reservata sit, emittere teneantur. Nobis propterea dicti Exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignemur. Nos igitur ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innotatae existunt ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolute fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati, dispensationem super dicto voto perseverantiae pro ingressuris tantum praedictam Congregationem Nobis, & Romano Pontifici pro tempore existenti dumtaxat auctoritate Apostolica tenere praesentium reservamus, & quatenus e memorata Congregatione egrediantur, ab exercitio suorum Ordinum suspensi remanere debeant.

Preces Congregationis praedictae.

Reservatio dispensationis praefatae.

Clausula derogatoria.

§. 1. Decernentes easdem praesentes literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus fortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit inviolabiliter observari: sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 2. Non obstantibus praemissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon dictae Congregationis, etiam Juramento, & confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus; privile-

giis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanfuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXIV. Novembr. MDCCXXIV. Pontificatus Nostri Anno Primo.

Conceduntur Privilegia Familiaribus Sanctitatis suae.

Ab Innocentio XIII. concessa fuerunt Consti. ed. 1721. Maji 26. P. 1. Et a Clem. XII. conceduntur Consti. ed. 1731. Julii 25. P. 2.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

VENERabilibus Fratribus Nicolao Mariae Lercario Nazianzen. Cubiculi nostri Praefecto, Prospero Marefusco Caesarien. Auditori Nostro, Nicolao Coscia Transanapolitan. Libellorum supplicum Nobis porrectorum, Camillo Merlini Iconien. Notarum arcanarum, & Carolo Majella Emsen. Literarum nostrarum in forma Brevis, quae ad Principes scribuntur respective Secretariis, ac Josepho Accorambono Philippen. Archiepiscopi Subdatario, Nicolao Augustino de Abbatibus Oliverio Porphyrien. Sacarii nostri Praefecto, Francisco Antonio Fini Avellin., & Dominico de Rubcis Vulturarien. Episcopis, necnon dilectis filiis Philippo Coscia Vicario in Civitate, & Dicecesi Beneventan. a Nobis deputato, Nicolao Albini Vestliario, & Eleemofynario Secreto, ac Nicolao de Simone Beneventan. Nicolao Xaverio Sancta Maria Salernitan. Joanni Vincenti Reatin., Bernardo Pizzella Triventin., Francisco Pacca Neapolitan., Januario Vitelli Pincernae, & Francisco Ascoleni Beneventan. Architrilino; Hieronymo Columna Forerio Majori, Octavio Rinaldo de Bubalo a Valle, & Philippo Astalio Romanis Cubiculariis intimis seu Secretis, Michaeli Angelo de Paulis Pisaurin., & Joanni Baptistae Nuccarini Fulginaten. Medicis Secretis, Dominico Prati Britinorien., Ignatio Clementi, & Januario Genovesi Beneventan., Paschali Ferrari Nolan., Ignatio Philippo Pierfanti Camerinen., Nicolao Schinofi Beneventan., & Michaeli Angelo Troyfi Minervien. Capellanis Secretis, Josepho Longo Beneventan., & Januario Sancta Maria Nolan. Clericis Capella nostrae Secretae, Dominico Eustachii Beneventan., Dominico Martino Firman., Donato Antonio Civitella, & Antonio Ferri Beneventan., Andreae Joannis Praenestin., & Andreae Coppola Beneventan. respective Civitatum, vel Diacesum Cubiculi nostri adjutoribus, ac Julio Silvaggio Romano Magistro Domus nostrae, Clericis, seu Presbyteris, vel Laicis familiaribus continuis commensalibus nostris salutem, & Apostolicam Benedictionem.

§. 1. Circumspecta Romani Pontificis gratiarum dispensatoris providentia devotos, & fideles suos, illos praesertim, qui grata familiaritatis obsequia jugiter ei impendunt, ac quos ad id alias propria virtutum merita commendant, honoris, & famae amplioribus praerogativis, ac praeclearis dignitatum titulis decorare, & ornare, necnon specialis benevolentiae favoribus amplecti solet, prout personarum qualitatibus conspici convenire. Hinc est, quod Nos ad grata familiaritatis obsequia, quae vos, qui etiam

XXXIV.

Dat. 15. Dec. 1724. An. 1.

Diriguntur Literae Familiaribus eiusdem.

Causae praesentis concessionis.

continui